



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 40. Creantur Cardinales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.
A.C. 1295.

§. XL.

Creantur Cardinales.

*Vading. n. 9.
Ciacon.*

*Boll. to. 15.
p. 438.*

*Rayn. 1296.
n. 1.*

Trimestri ecclesiastico Adventus domini hoc anno 1295 Papa creavit quinque Cardinales; & primum quidem Fratrem Jacobum Thomasiu Caeteranum ex Ordine Minorum Anagninæ suæ ex sorore natum. Hunc fecit Cardinalem Presbyterum de S. Clemente. Alii quoque Fratri Minori cognato suo scilicet Andreae Anagninensi ex familia Comitum Signiæ sacram destinavit purpuram; sed sanctus vir eam constanter renuit. Accepit autem Franciscus Cajetanus Papæ Bonifacii ex fratre Godefrido nepos, Cardinalis Diaconus de S. Maria in Cosmedin. Tertius fuit Franciscus Napoleon de Urfinis Cardinalis Diaconus de S. Lucia. Quartus Jacobus Stephaneus Romanus, qui Latino carmine Cœlestinum electum, ac Bonifacium coronatum scripserat. Evasit vero Cardinalis Diaconus de S. Georgio ad Velum Aureum. Quintus pariter Cardinalis Diaconus de S. Maria Nova erat Petrus Valentinus Privernas; qui sub Papa Cœlestino Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarium egerat. Papa Bonifacius eum paulo post Legatum misit in Hetruriam, Æmiliam, Marchiam Anconitanam, vicinasque pro-

provincias, dissidentes populos pacandi gratia, instructum potestate irrogandi poenas sacras & temporales authoribus turbarum & pacis hostibus. Mandatum dedit 29 Apr. 1296.

Sæcul. XIII.
A.C. 1296.

§. XLI.

Papæ Cælestini obitus.

Interea Petrus Moronus, qui Papa Cælestinus V fuerat, Fumonix arcis turri firmissimæ inclusus hærebat, custodiam diu noctuque agente præsidio sex Equitum, ac militum triginta. Præbebatur ei largiter victus necessarius, quo paratissime utebatur pro veteri more suo: sed ad ejus conspectum nemo admittebatur. Poposcerat duos Ordinis sui Fratres, quibuscum divini officii pensum persolveret: atque concessi erant. Sed carcerem tam angustum diu tolerare haud poterant: efferebantur ægri & alii eis succedebant. Locus tam arctus erat, ut vir sanctus de nocte dormiens collocaret caput ibidem, ubi ponebat pedes de die sacrificans. Cuncta hæc incommoda, & ferociam excubiarum ferebat ita, ut nullum impatientiæ signum ederet.

Decem mensibus hoc in carcere tractis, die Pentecostes 13 Maji an. 1296 peracta re divina ad accitos Equites custodes

Boll. to. 15.
p. 476. 496.